Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25997
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ecclesiam. et quia a(n)tea in mari habet pisces simul natantes bo
nos et malos. in isto regno celorum id est in ecclesia huius tem
poris minimus uocatur ille qui docet bona et agit mala.
quia ibi est et ipse. Non enim non est ibi. sed ibi est in regno celorum.
id est in ecclesia qualis est illo tempore. Docet bona et agit mala.
Necessarius est mercennarius. Amen dico uobis aiunt: perceperunt
mercedem suam. Prodest aliquid? Nam si nihil prodessent qui
bona docent et male uiuunt. non diceret ipse dominus suo populo.
Scribe et pharisei in cathedra moysi sedent. que dicunt facite.
que autem faciunt facere nolite. Quare. Dicunt enim et non fa
ciunt. Intendat ergo caritas uestra. Volo enim exponere quid
sint pisces magni. Qui soluerit inquit unum de mandatis
istis minimis. minimus uocabitur in regno celorum. Ibi
erit. sed minimus. Qui autem fecerit et docuerit sic. magnus uo
cabitur in regno celorum. Ecce isti sunt pisces illi magni ad de
xteram capti. Qui fecerit et sic docuerit. bona docuerit. non
sibi loquenti sed male uiuendo contradixerit cum male uiuit,
testem habeat linguam bonam. qui fecerit et sic docuerit
magnus uocabitur in regno celorum. Et sequitur: Dico enim
uobis. quia nisi habundauerit iustitia uestra super scribarum
et phariseorum non intrabitis in regnum celorum. Modo
quomodo intelligis regnum celorum. Illud unde dicitur: dextris
uenite benedicti patris mei percipite regnum. Nisi habunda
uerit iustitia uestra plusquam scribarum et phariseorum non
intrabitis in regnum celorum. Respice scribas et phariseos
qui in cathedra moysi sedent. de quibus dictum est. que dicunt
facite. que autem faciunt facere nolite. Dicunt enim et non faciunt.
Ergo iustitia phariseorum est dicere et non facere. Habundet iusti
tia uestra super scribarum et phariseorum. ut et bona dicatis et